

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2021-2022
À rendre pour le vendredi 29 octobre 2021 (casier au DSA)

Version latine n°3 : les angoisses du divin Claude

Longueur LC : intégralité. Longueur LM : jusqu'aux crochets droits.

Sed nihil aeque quam timidus ac diffidens fuit. Primis imperii diebus [...] neque conuiuia inire ausus est, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent militesque uice ministrorum fungerentur, neque aegrum quemquam uisitauit, nisi explorato prius cubiculo culcitisque et stragulis praemptatis et excussis. Reliquo autem tempore saluatoribus scrutatores semper apposuit, et quidem omnibus et acerbissimos. Sero enim ac uix remisit, ne feminae praetextatique pueri et puellae contrectarentur et ne cuius comiti aut librario calamariae et graphiariae thecae adimerentur. Motu ciuili cum eum Camillus¹, non dubitans etiam citra bellum posse terreri, contumeliosa et minaci et contumaci epistula cedere imperio iuberet uitamque otiosam in priuata re agere, dubitauit adhibitis principibus uiris an obtemperaret.

Quasdam insidias temere delatas adeo expauit, ut deponere imperium temptauerit. Quodam, ut supra rettuli, cum ferro circa sacrificantem se deprehenso, senatum per praecones prope conuocauit lacrimisque et uociferatione miseratus est condicionem suam, cui nihil tuti usquam esset, ac diu publico abstinuit. [...]

Nulla adeo suspicio, nullus auctor tam leuis extitit, a quo non mediocri scrupulo iniecto ad cauendum ulciscendumque compelleretur. Vnus ex litigatoribus² seducto in salutatione affirmauit, uidisse se per quietem occidi eum a quodam ; dein paulo post, quasi percussorem agnosceret, libellum tradentem aduersarium suum demonstrauit : confestimque is pro depresso ad poenam raptus est. [Pari modo oppressum ferunt Appium Silanum³ : quem cum Messalina et Narcissus conspirassent perdere, diuisis partibus alter ante lucem similis attonito patroni cubiculum inrupit, affirmans somniasse se uim ei ab Appio inlatam ; altera in admirationem formata sibi quoque eandem speciem aliquot iam noctibus obuersari rettulit ; nec multo post ex composito inrumpere Appius nuntiatus, cui pridie ad id temporis ut adesset praeceptum erat, quasi plane repraesentaretur somnii fides, arcessi statim ac mori iussus est. Nec dubitauit postero die Claudius ordinem rei gestae perferre ad senatum ac liberto gratias agere, quod pro salute sua etiam dormiens excubaret.]

Suétone

¹ *Furius Camillus Scribonianus*, légat de Dalmatie ayant fomenté une révolte contre Claude.

² Personnages indéfinis qui n'apparaissent que dans cette anecdote.

³ Sénateur et membre de la famille par alliance de Claude.